

HELVE T I A.

DE hac Regione sic inquit Munsterus : Eam Regionem, aut magnam eius partem, quam Romani olim Heluetiam vocauerunt, hodie vulgò vocant Suiciam, & Confoederatorum terram. Incipit à summis Alpibus, desinensque ab Ortu ad Rhenum, excurrit in Septentrionem vsque ad Waldshut & Lauffenberg; atque hinc reflectitur in Occidentem secundum tractum Iuræ montis, vsque ad lacum Geneuensem; quo usque rursus pertingat ad Alpes, vbi superiorem Gallia tunc temporis tenuit locum. Diuidebatur autem ea tempestate in quatuor Regiones: vnam incolebant Tigurini, & hi expeditionem facientes ex sua Regione contra Romanos, Anno ante Christi natiuitatem centesimo, & amplius (vt ex Cæsare depræhendere licet) interfecerunt Romanorum Consulem Ducem belli, L. Cassium; ceperuntque, & perdomuerunt exercitum eius. Celebrati fuerunt tunc Heluetij supra reliquos Gallia populos, propter animi, egregiorumque in bellis facinorum, virtutem. Anno ante Christum natum circiter sexagesimo, inierunt Heluetij foedus cum Rauracis vicinis suis, atque aliis adiacentibus populis. Post hæc Heluetij relictis terris suis, quæ sibi non sufficientes erant, venere sedes petendum, incensis moenibus suis, ne spes vlla esset redeundi, melioresque occuparent terras. Nec defuit illis animus, totam si potuissent, subigere Galliam. Profecti autem sunt primùm versus Geneuam, versusque Romanorum Prouinciam, quæ modò Sabaudia & Delphinatus appellatur. Iulio verò Cæsare Duce Romani exercitus præcludente viam multis fossis, aggeribusque, & aliis obstaculis; coacti declinare per Sequanam, quæ hodie est Comitatus Burgundia: venientesque ad Heduos, qui iam habitant Burgundiam, ibi post multas dimicationes tandem ventum est ad atrocem pugnam; durauitque cædes ipsa à septima hora in noctem vsque. Cumque vtrinque fortiter in acie starent, Cæsar tandem victor factus, perdomuit Heluetios, atque gentem bellicosissimam sic in sedes suas veluti greges in stabula pastorum perduxit, veritus, si hoc non fecisset, Germanos transito Rheno sedes ab Heluetiis relictos occupaturos. Deuictis itaque Heluetiis, Cæsar sine cessatione Galliam oppugnauit, donec eam tandem totam Romanorum Imperio subiecit.

De lingua, qua tunc vsi sunt Heluetij & Galli, duæ sunt coniecturæ. Quidam enim putant (vt Beatus Rhenanus) Gallicam linguam tunc neque cum Germanica, neque cum Gallica, qua hodie vterque vtitur, communicasse; sed propriam extitisse linguam. Alij verò (inter quos est Ægidius Tschudus, & Henricus Glareanus) putant Gallos tunc vsos lingua Germanica, potissimum ea, qua adhuc Heluetij vtuntur; habentur vtrinque probabiles rationes. Hactenus ille. Præter ea, quæ de his Regionibus habes apud Cæsarem; Strabonem; plura leges apud Vadianum; Tschudum;

Henricum Glareanum; & Osualdi Molitoris in eum Cõmentaria:

& tandem Ioan. Stumpfium, qui ingens volumen de illis

scripsit. His potes addere Io. Rhellicani Cõmentaria in Cæsarem. Promittit etiam Rhetie

descriptionem Nicolaus Stupanus Rhetus.



**HELVETIAE DESCRIPTIO
AEGIDIO TSCHVDO AVCT.**

Helveticorum fines habent in longitudine cxxi. millia passuum, a
 ut Cesar libro i. quod hodie verum est. Nam sunt a medietate
 lacus Aemont Genavam vsque miliaria Helvetica ut ipsi computant
 xxx. in latitudinem autem inter Renum vel Suram versus fi-
 nitima Asipum lxxx. millia passuum, aut x. vel xi. miliaria
 a Helvetica efficiunt. Continet autem miliaria Helvetica, ut nunc
 videntur, spatium duarum horarum equis tris; duarumque & dimi-
 die pedestris itineris. Computantur ergo octo millia passuum
 Italicorum pro vno miliario Helvetico.

Scala miliarum Helveticorum

SEPTENTRIO.

